

Alcune dilucidazioni sull' " *amplexus reservatus* „

Circa *amplexum reservatum* non omnes notiones exactas habent. Breviter dicam *quid est, num liceat, num permitti possit.*

I. - Quid est? Definiri potest: « Copula coniugalis habita cum proposito abstinendi a seminatione ». Ex ipsa definitione liquet id esse in praxi perdifficile et admodum periculosum. Fieri enim potest ut sub nomine palliato « *amplexus reservati* » putidus onanismus lateat. Considerandum enim est quam facile luxuria praetextus astruat ad se occultandam. Ut in praxim transeat et in usum veniat multa experimenta sunt necessaria ad securitatem dandam. Artes huiusmodi late docet auctor gallicus, cui nomen Chanson. Sed, ut patet, in his omnibus edonismus coniugalis dominatur. Et ipsa coniugum intentio clare se porrigit ad veream satisfactionem plenius attingendam sine prolis oneribus. Quod christianam, immo humanam dignitatem dedecet, auctores laudant et inverecunde commendant.

I. - Veniam cito ad morale iudicium ferendum.

Ante omnia prae oculis habeatur Monitum S. Officii quod sic sonat: «...Nonnullos actum quendam *amplexum reservatum* noncupatum describere, laudare et suadere » gravi cum sollicitudine, Apostolica Sedes animadvertit. Et prosequitur: « Ne in re tanti momenti, quae sanctitatem matrimonii et animarum salutem respicit, munere suo deficiat, Suprema Sacra Congregatio S. O. de expresso mandato SS.mi D. N. Pii, divina Providentia Pp. XII, omnes praedictos scriptores graviter monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant... Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientis dirigendis, numquam sive sponte sive interrogati ita loqui praesumant quasi ex parte legis christianae contra " *amplexum reservatum* " nihil esset obiiiciendum ».

Monitum gressus nostros in his dirigat. Et ante omnia scriptores praesertim ecclesiastici desinant artem docere ad augendam delectationem veream in coniugio. Hoc plane relinquatur sano iudicio ipsorum coniugum, qui si aliqua explicatione vel notione indigeant, ad medicos peritos recurrant. Nam in istis rebus ipsa natura eos dirigit nec instinctus pondus nostris impulsioibus indiget. Deinde Sacerdos memineat obiectiones ex parte legis christianae contra *amplexum reservatum* quas sic enumero:

- 1° - Difficultas abruptionis actus coniugalis sine pollutione in coniugibus consequente. Quod saltem ab initio est maxime attendendum et ideo minime licet experimenta facere cum tali gravissimo periculo. Exinde patet minime licere confessario penitenti ignoto haec permittere aut suadere.
- 2° - Etiam affirmantibus acquisivisse plenum dominium in instinctum sexualem non eis facile credatur, nam saepe hoc dominium est illusorium et sensum morale paulatim extinguit.

- 3° - Actus imperfecti ex justa causa licent coniugibus; sed hoc satis speculative dicitur; nam in praxi perdifficile est medio itinere sistere in excandescentem concupiscentiam; et in praxi, exceptis minoribus excitationibus, facilius est continentiam servare quam concupiscentiam excitatam refrænare et continere. Actus enim imperfecti ex ipsorum natura ad perfectos tendunt.
- 4° - Actus coniugalis est actus a Deo datus ad prolis generationem et est semper reverendus ut actus ex quo vita humana procedit. Velle actu coniugali ita uti ut ex eo sola voluptas oriatur sine onere, est aliquo modo irreverenter eum tractare et eius finem primum pervertere. Nec dicatur hanc rationem valere etiam pro aliis actibus imperfectis; nam respondeo alios actus esse ex natura sua ad copulam ordinatos; sed non vicissim, quod monstruositatem aliquam sapit. Nam copula non ordinatur ad actus imperfectos et velle ipsa uti ad actus imperfectos est eam profanare.
- 5° - Demum amplexus reservatus, si passim suadetur, aversionem in finem primum matrimonii gignit et sensum moralem destruit in rebus utendis.
- 6° - Meminerit tandem confessarius quod amplexus reservatus minime consulit coniugum paci; sed magis eos in nervosam tensionem inducit sicut quilibet actus innaturaliter et acriter interruptus. Ipsi corporali saluti nocet, sicut omne violentum quod delicatam nerveam structuram nimis tendeat.

II. - Patet ex dictis numquam licitum esse confessario id sponte suadere vel consulere. Si limitandi prolis iusta adeat causa, potius continentia periodica suadenda est, vel continentia ascetica id est plena, si securius procedere velint coniuges. Si coniuges, cum periculo pollutionis, istum amplexum praticare volunt, absolutionem neget confessarius tamquam indispositis. Si sine hoc periculo et amplexum istum a coniugibus avertere nequit tolerari potest; nam ex hoc capite minime constat eos graviter peccare ita agendo. Sed a positiva adprobatione semper absteineat. In omni demum casu sataget confessarius sanctitatem matrimonii inculcandi et educationem ad castitatem coniugalem ne prætermittat, ex qua ipse amor purificatur et ad uniendum fit aptior. Permulti enim insipienter credunt amorem coniugalem solum per delectationes carnales quotidie auctas exprimi et fovieri, ita ut nullus amor coniugalis possibilis concipiatur sine delectatione sensibili. Quod plane falsum est. Amor enim verus a facultatibus superioribus, id est ab animo, incipit et fovetur et consistere potest sine delectatione carnali; coniuges magis uniuntur quo magis animæ copulantur, non corpora.

Can. GIUSEPPE ROSSINO

del Convitto Ecclesiastico di Torino